


 CAROLINA UNIVERSITAS BROVNOVENSIS	kat.komr	
	22026	
III	Mag. St. Dr.	P

hanus

nicens.

*Cyboni Christoph. Joan. Vestigium gloriae im-*  
*mortalis.*

PANEG. et VITAE  
Polon. Fol.  
№ 1589.



# VESTIGIVM

GLORIÆ IMMORTALIS

Quod

*Gentilitiâ Illustrissimæ Domûs SOLEA*

Per Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum

## D. STEPHANVM

à Magna Chrzastow

## WIERZBOWSKI

Dei & Aplicæ Sedis gratiâ

## EPISCOPVM POSNANIENSEM

*Heliconi Lubransciano*

Impressum

Dum auitas inter Præsulum Patronorumq; Collegij Academici Imagines

Augusta in Imagine sua

Sacro solenniq; literariæ pompæ cultu deduceretur

Secuturæ Perennitati

### LEGENDVM

*M. J. 7.*

*Christophorus Ioannes Cyboni, Ph. B. Collegij Lubran: Pdeśeós*

*Professor, Contubernij Szodtrsciani Senior,*

subitaneo calore Panegyrico

ADNOTAVIT.

Anno Introducti inter homines Dei 1679. die 6. Iulij.

---

POSNANIÆ

22026 III

In Officina Typographica Alberti Reguli Młoduiewicz.

Decorative floral border with repeating patterns.

**C**lmen Tuum Olympo infer  
LVBRANSCIANE HELICON.

Celsitudinem Tuam si non ad cælos hodie ipsos porrigas  
Fortunæ Tux humilis æstimator sis.

Par Celsissimis Tiaratus apex  
quidni tam sublimè Te evexerit?  
dum Tuis se hodie Tectis submitit.

Cum descendente intra Lares Tuos Illustrissima Celsitudine  
illustrius & celsius ascendisti.

Bicepsque Tibi Iugum  
Unico Celsissimi Nominis incremento,  
pluribus fastigiis succreuit.

Ita semper,

Exiles tectorum angustix angustiores fiunt  
Maximorum hospitem magnitudine.

Et umbratiles Academici Receptus tenebræ  
dum ab Illustrissimo Hospite lustrantur; illustrantur.

**WIERZBOWSCIANA SOLEA**

Istud illi Glorix Immortalis vestigium impressit  
Cuius Vestigium omne Gloriosum ac Immortale est.

Quidquid calcasset Perseus, Laurus fieret;  
Triumphalium fecundior Laurearum nunquam fuit

**P O L O N I A ;**

quàm, eum lubricam bellorum calcaret aream;  
in fortissimis fortissimi pro Ovis suo Pastoris Maioribus,  
Mars WIERZBOWSCIORVM Solèatus.

Ad Palmas omni in foro & campo victrices  
Palmari cespitare passu, hic certe sicubi non didicit  
**SOLEATA VIRTUS**

Cui, quacunq; in quemcunq; hostem iuisset via  
omnis fuit triumphalis.

Et tu erudita Lauri amarior effrondesce  
Vittis demum hodie Præsuleis  
Laureate Parnasse noster.

Amica hæc Miseræ SOLEA,

Doctarum etiam Laurearum non minus ferax est.

Fatalis Illa calcandis barbarorum ceruicibus,  
Eruditorum Capita non opprimit neque onerat  
sed magnum Illis decus imprimit & ornat.

Phæbum Parnassi Præsidem effinxit antiquitas,  
Verius Illustrissimum hodie accendit Tibi Solem  
& suo & Illustrissimi PRÆSVLIS in Nomine  
**SOLEA TIARATA.**



Huc Rosas & Lilia, omnes delicias veris,  
omnes Chloridis & floridi Heliconis Coronas,  
plenis manibus.

Coronatum STEPHANI Nomen,  
Coronatis Capitibus adamatam,  
Parnassus quoque eo tributariæ gratitudinis sermo coronet,  
ex quo inexhaustæ fontem haurit beneficentiæ.

Nisi melius

Amplissimo WIERZBOVSCIANO NOMINI,  
Tot Fasciis & Fascibus honorum coronato,  
Orbis & æternitatis sine coronide circulus  
voluatur in coronam.

Castalij fluente Laticis si Pegasi elicit olim solea  
Hippocrenen Tuam Lubransciana Pallas  
WIERZBOWSCIANÆ debes SOLEÆ.  
Et hæc in literarum opem aligera,  
ad effundendos beneficentiæ fontes Pegasea est.

Hinc quoque

ad magnorum fastigia honorum,  
ad gloriæ multiplicis sublime Capitolium,  
non currere sed volare

WIERZBOWSCIANVM est.

Non simplicem lympham nec nisi de saxis & rupibus  
Nobis Tua magne PRÆSVL eduxit SOLEAS  
sed aureum facili ac diuite vena Pactolum aperuit  
aureâ liberaliter munificentiâ exundantem,  
Nilus Lubranscianus Aqua hæc est  
quæ à SOLEA WIERZBOWSCIANA profluxit  
quia portans Panem.

Deleat censoria Neptunus spongiâ  
quidquid labile in aquis ingenium, stylo fluido adnotavit.

Ast istud legent secuturi nepotum oculi,  
quod, adamante solidior, SOLEATÆ liberalitatis character  
benefico alveo manantibus in vndis

exaravit.

Tu verò Cælo Cælitibusque SOLEAM Hanc debes  
V A R S A V I A.

quæ cælestis Tibi felicitatis vestigium impressit  
dum recalcanda Patientis Dei Hominis Vestigia  
in nouo Poloniarum Cælo, sacro Caluarie monte  
reimpressit.

Digna Olympo Præfuls diuini virtus  
quæ cum istum Terris Sarmaticis Olympum intulit  
amplissima Orthodoxæ virtutis, suæque laudis Olympia  
excitavit.

Tuam demum maximam quis non agnoscat felicitatem  
Fortunatissima eo Præfule  
Augusta POSNANIENSIS CATHEDRA?  
Domestica Hæc Tibi SOLEA  
in solium regnaturæ æternum apud Te felicitatis,

CRUX SOLEÆ Pedique Præsulei com es,  
Victricis Fortunæ & Gloriæ abiit in trop hæum  
Quod extra aduersæ sortis lubricum  
constanter in solido fortunæ stabilis consistas.

Et Inconcussæ PETRÆ Tuz

Et solidissimæ huic Soleæ Cruciq; debes.

PETRI CLAVES PAVLiq; GLADIVS

Vigilantissimas in ACCIPITRINO Pastore, dum sibi iunxere excubias

Nec centoculos antiquitati Argos

Nec peruigiles Hesperidum Horto Dracones

sacrum invidet Ouile.

sed Tu iam in triumphalem Arcum

Ingressuro Hospiti assurge

SOLEA

& semper & hodie Triumphalis.

Quot obrata Tibi vides pectora,

Tot triumphi Tui mancipia numeras & captiuos.

Ingredere faustus & felix

fortunatum Ingressu Tuo Musarum domicilium

Celsissime Principum in Regno Familiarum Sanguis

Celsissimi Tiaræ Votum ac Spes

Ingredere Apollinis Tui Tecta,

Senatus Lechici Oraculum,

Purpuratorum Nestor, Antistitum Gemma, Pastorum Phœnix.

Ingredere liberalitatis in literas

In DEVM, PATRIAM, PRINCIPEM,

Religionis, Amoris, Fidei

Virtutumque omnium vnica

IMAGO

Quod serenissimo olim Parenti suo,

Serenissimus vel eo facto fecerat Krynoustus

Hoc Illustrissimo facimus Patrono

Imaginem Tuam

Non in Tectis tantum nostris, sed & cordibus reponimus

Ex archetypo beneficentiæ Tuz

Edypum formaturi

Gratitudinis.

Ad M. D. G. B. V. M. D. I. C. SS. PP.



XX. 1. 29.

Biblioteka Jagiellońska



stdr0026735

